





709.

AA

1721.3.

I. N. D. N. J. C.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**DEPOSITO JURIS**  
SEU  
**CONSIGNATIONE**

Quam

*adjuvante Divino numine*  
*ex decreto*

Inclitæ Facultatis Juridicæ in Alma  
Argentoratensium Universitate

**PRO LICENTIA**

Summos in utroque jure honores &  
Privilegia Doctoralia  
rite consequendi

*Eruditorum Examini*

submittet ac solenniter defendet

**JOH. BAPTISTA WENDEL,**

de HAYANGE Wolmeringensis.

*Ad Diem II. Mart. A. C. H. M. DCCXXI.*  
horis locoque solitis.

---

**ARGENTINÆ,**  
Typis Typographiæ Regiæ.



76.

VIRO PER ILLVSTRI,

DN. DN.

JOH. ANTONIO,  
LIB. BARONI ab ELTZ,

Domino in Ottange, Tiercelet &c. &c.

Agminis, quod Brigade vocant, in Copiis REGIS  
Christianissimi Ductori fortissimo,

Legionis Sparrianæ Tribuno summe strenuo,

Ordinis Militaris S. Ludovici Com-  
mendatori Meritissimo,

DOMINO SVO GRATIOSO

Hasce Theses inaugurales ut animi innumeris  
beneficiis ad Gratitudinem obstricti Pignus

D. D.

HVMILLIMVS CLIENS

JOH. BAPTISTA WENDEL, de HAYANG,  
Wolmeringenensis.

**D**IU jam est, Domine Gra-  
tiose, quod insignia illa,  
quibus Benignitas Tua  
tum Parentem meum,  
tum totam nostram Familiam, ma-  
etavit beneficia requirant, imò po-

stulent, ut gratias Tibi, si non re-  
ferremus, haberemus tamen. Nec  
omisimus omni data occasione eò al-  
laborare, ne ingratitudinis Rei agi  
possumus. Hoc Gratitudinis te-  
standæ studium cum suavissimus Pa-  
rens omnibus nobis à primis vitæ an-  
nis curatissime inculcaverit, ad nul-  
lum tamen magis id pertinere vide-  
tur, quam ad me, cui nascendi ordo  
& diuturniorem jam Gratia Tux  
usum indulxit & Fratres exemplo meo  
ad officium excitandi legem im posu-  
it. Non potuit itaque, Domine,  
Per Illustri, cum *Inaugurali Differ-  
tatione Juridicorum Studiorum ratio*

Publico eslet reddenda, committere,  
quo ita id facerem, ut simul publi-  
ce testarer sub cuius Patrocinio Tute-  
laque tam reliqua; tum Academica  
vita feliciter cesserit. Levidense  
quidem est hoc, quod Tibi offero  
offerо munusculum, nec ejus Fortu-  
na dignum, qui Prudentia ac virtute  
sua & Ludovici Magni & Augustis-  
simi Galliarum Regentis judicio ho-  
nores summis proximos tenet, quiq;  
illustribus suis factis orbi jam diu per-  
suasit, dignissimum se esse, qui ori-  
ginem referent ad eam Familiam, qui  
Electores, Episcopos, aliosque summis  
honoribus & Ecclesiasticis & Civi-

\* (o) \*


bus non ornatos magis quam dignos,  
& ut paucis dicam, maximos Toga  
Sagoque Heroas produxit; ast certus  
de Humanitate Tua confido Te ta-  
men non minori lubentia id admissu-  
rum, quam summi olim Imperantes  
levisima etiam dona læto animo ac-  
ceptavere. Quo minus majora præ-  
stare possim & Tua Felicitas facit &  
mea Paupertas. Cum itaq; fortuna  
mea beneficiis Tuis respondere non  
possim, sufficiat animo respondere  
animum. De hoc sane, Domine  
Gratiōse spondeo eundem non mi-  
nus, quam Parentis & Fratrum,

\* [o] \*

Tibi dum Spiritus hos reget arctus,  
omni observantia & fide fore addi-  
ctissimum. Vale & facere perge  
Per-Illustris Nominis Tui

*Clienti humillimo*  
JOH. BAPTISTA WENDEL  
de HAYANGE.

QVÆSTIO



## Proæmium

Post quam per Dei gratiam ante mensem,  
 & siquid amplius inclita in hac Universitate Facultatis Juridicae examina feliciter sustinuisse, mihique data esset a dicta Amplissima Facultate potestas de quocumque Themate inauguraliter disputandi, muneric mei esse duxi, ut sine mora de arguento quodam inauguraliter differendi circumspicerem. quod dum feci, pra alii sese oculis meis obculit,  
 que omnia fere nunc fora nostra occupat, Materia de Deposito Juris. Postulasset quidem ejus gravitas & utilitas, ut ad amissim Controversia inde oriunda juxta Legum normam

A

mam

mam à me excuterentur. Verum cum illa res  
humeros requirat meis robustiores, nec propo-  
situm mihi sit, librum scribere, sed disserta-  
tionem, spero benevolum Lectorem equi bo-  
nique consulturum, si quasdam tantum hujus  
materia questiones tractem, atque ita disserta-  
tioni amica occasionem suppeditem. Faxit  
Deus, ut omnia bene  
cedant!

QUÆSTIO



## QUÆSTIO PRIMA.

*Quid sit Depositum juris?*

Otandum autem hic, quod Depositum juris varias admittat significationes: Generali acceptione Depositum juris dicitur omne Depositum, quod jure fit, quo sensu sub eodem etiam Depositum, quod facti vocant Doctores, continetur. Specialiter autem sumitur, pro actu, qui de posito facti contradistinguitur, & per quem non hoc agitur, ut

A 2

obligatio contrahatur, sed ut potius illa tollatur. Depositum juris in hoc sensu speciali sumptum iterum vel propriè accipitur vel impropre; si impropre, tum denotat Depositionem, quæ oblationem & obsignationem præcedentem non habet. Si proprie, tunc denotat actum Depositionis, quem oblatio & obsignatio debito modo facta antecessit; de quo juris Deposito in primis agere nobis est propositum quo in sensu *Depositum juris* nobis nihil aliud est, quam modus tollendi obligationem, quo Debitor pecuniam vel rem Creditori oblatam, sed ab eodem non acceptam apud Magistratum deponit, eum in finem, ut ipse ab obligatione liberetur. Dum diximus, Depositum juris esse modum tollendi obligationem; per hoc ipsum destinguitur illud a Deposito facti, quippe quod est contractus introducendæ obligationis causa celebratus, & quidem principalius ad custodiæ; qui enim ita deponit, id agit primario, ut depositarium sibi ad rei depositæ custodiæ obstringat; quod plane aliter se habet indeposito juris, ubi primariò id intendit Deponens, ut se ab obligatione liberet, non, ut alterum ad custodiæ obliget. *Vid Müller ad Struv. Ex. 47. § 89.*

QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

*An Verbalis Oblatio sufficiat  
ad verum Depositum Juris consti-  
tuendum?*

**A**ntequam ad Quæstionem propositam respondeamus, necesse erit, prius, quid sit *Verbalis Oblatio*, expōnere. Est autem illa talis Oblatio, quā quis pecuniam vel rem aliam debitam non secum habens, verbis solummodo creditorū declarat, se paratum esse ad solvendū id, quod ex præcedenti obligatione præstare tenetur; cum ē contrario *Realis Oblatio* fieri dicatur, quando res debita præfens ita offertur, ut, si Creditor velit, statim illius possessionem nancisi possit. Jam vero quæritur: Quānam ex his duabus oblationibus in Deposito Juris adhibenda sit? an nempe sufficiat prior illa, an vero necessario requiratur hæc posterior? Qui verbalem admittunt, pro sua Sententia defendenda allegant: 1. quod *verba* Sæpius suaceant in locum *rei*, ad eum effectum, ut æque exinde nascatur obligatio, ac si res ipsa intervenisset. Sic videmus ex *t. Tit. n. de Verbor. Oblig.*

A 3

non

non minorem vim atque autoritatem *verbali* contractui tribui , ac reali . vid. etiam l. 1. §. 1. & 7. π. de obligat. & actione  
 unde factum , ut Juris-Consultus VLPIANUS in l. 9 π. *derebus Credit*. Conditionem certi , uti ex Reali , ita quoque ex *Verbalis* obligatione oriri pronuntiaret. Adde , quod idem per l. 1. & 2. π. de Novat. utrique similem & eundem plane tribuat effectum ratione novationis. æquali modo *verbalem* citationem ad eundem scopum tendere idemque operari , quod Realis , nempe comparitionem citati , cuilibet notum est. Et , quis negaret ? ex *verbali* *injuria* æque actionem , injuriarum scilicet , descendere atque ex Reali . Ex quibus tandem concludunt , ad horum exemplum , *Oblationem* quoque *verbalem* non differre quoad effectum a Reali 2. porro ex l. 122. π. de verb. obligat. ostendere conantur , verba : se paratum esse , pecuniam numerare Creditori pro vera ac sufficienti oblatione accipi a Jcto SCÄVOLA. 3. Rigorem Juris ac apicem superfluum esse adstruunt , præcise requirendo , ut res solvenda statim sit præsens ; quid enim interest , an eo momento quo Debitor loquitur , a Creditore videri & apprehendi possit , an vero mox post acceptationem a Debitore extiatur. Imo 4. cum boni Legislatoris ac Judicis sit , novis & minime necessariis sumtibus partes litigantes non gravare , iniquitatis illos accusant , qui statuunt , in casu , ubi res debita difficulter , & non nisi magnis cum impensis ad Creditorem transferri potest , si probabile est , rem non acceptum iri , necessariam esse momentaneam rei oblatæ præsentiam , sic enim inutiliter & sæpius cum non exiguo alterius partis damno expensæ multiplicarentur. Quintum & firmissimum , ceu ipsi sibi imaginantur , argumentum deducunt ex leg. 72. π de Solution. Pr. ubi MARCELLUS omne id pro

pro soluto habet, in quo Creditor accipiendo moram fecit.  
Ergo concludunt, si Creditor Debitem, qui paratus est,  
mox post acceptationem numerare pecuniam, repellit, hoc  
non offenti nocere, & per consequens Rei debita præsen-  
tiam non absolute requiri.

Verum hæc omnia non impediunt, quo minus con-  
trariam & eorum amplectamur sententiam, qui Realem  
omnino Oblationem in Deposito Juris exigunt. Quoniam  
enim vocabulum *Oblatio* in sensu communi atque ordina-  
rio (à quo juxta bonæ interpretationis Regulas præter sum-  
mam necessitatem recedere non possumus) indigitat actua-  
lem aliquam rei ostensionem, atque talē exhibitionem,  
quā Debitor rem debitam, e. g. pecuniam numeratam Cre-  
ditori repræsentat eo animo, ut Creditor illam accipiat, nu-  
meret, quantitatē & qualitatē specierum examinet, ipsum-  
que postea a debito liberet; de tali etiam oblatione *l. 9. C.*  
*de solut. & liberat.* loqui statuendum est; in primis, si con-  
sideretur, oblationem, ut vocant verbalem revera non esse  
Oblationem ipsius rei debitæ, sed potius oblationem volun-  
tatis, qua Debitor declarat, se id, quod nunc præstare te-  
netur, postea in solutione oblaturum. Accedit, quod  
etiam verus sensus grammaticalis vocum: *fero, defero, pro-*  
*fero, transfero* & ita quoque *offerō* significet actum aliquem  
extraneum atque realem. Id quod porro clarius fit ex In-  
spectione *l. 19. Cod. de Vjuris*; ibi namque expressus propo-  
nitur casus talis Oblationis, post quam Creditor in continen-  
ti rem oblatam fuscipere, perspicere atque pecuniam nume-  
rare possit. Jung. *l. 28. π de adm. & periculo Tut. l. 87. π de*  
*Condit. & demonstrat.* Quam vocis *offerre* explicationem ap-  
probare

probare etiam videtur l. 2. C. de Vsuris & l. 13. § 8. n. de action. Emt. Vendit. Ex quibus facillimum probatum est, oblationem ita fieri debere, ut in ipso actu oblationis Creditori innotescat, an debite & legitime facta sit, scilicet, an totius debiti, atque in eadem, qua stipulatum est, specie solutionem debitor praestare velit quæ certe Creditor distincte dignoscere nequit, si non adest realis debiti oblatio. Ut taceam difficultates innumeræ & lites quæ si res debita absens est, exinde oriuntur, præsertim cum certum ac definitum tempus præfigi nequeat, intra quod vera oblatio post verbalem fit facienda, cum tamen multum creditoris æque ac debitoris interficit, an hoc vel illo momento res debita solvatur. Et sic in praxi obtinere testatur CARPZOV. Resp. 99. Lib. V.

Casus hic exceptos tradit MÜLLER. in Not. ad STRIVV. Exercit. XLVII. & SCHVLTZ in Tr. de Oblat. Obsigatione & depos. pecun. deb. c. 8.

Ad objectiones supra propositas, in Cathedra, si dabitur occasio, respondebimus.

QVÆSTIO

## QVAESTIO III.

*An Depositum Juris recte  
constituatur, si Debitor non to-  
tum, sed partem ejus, quod de-  
betur, Creditori offert?*

**O**blationem inter modos tollendi obligationem à Jctis referri, ac, si rite, id est, accedente Obsignatione ac Depositione legitima, fiat, instar solutionis esse, vix est, ut dubitemus. unde porro infertur, illam Solutionis, ubi nihil aliud obstat, imitari naturam. Nunc autem manifesti Iuris est, Solutionem particularem (ut loqui amant) per quam non tota ac integra Debiri summa, sed pars tan- tum Crditori præstatur, non liberare a contracta obli- gatione. Ex qua ratione CAJVS ad officium Judicis pertinere dicit in l. 3. n. Famil. Erclsc. ut curam gerat, ne credita per partes attribuantur sed pro solidio. Vnde consequens est, Quæstionem nostram negative de- cedendam, statuendumque esse, ad constitutionem Depositi Juris legitimam requiri, ut integra summa de- biti Creditori offeratur; quod ni fiat, licitum erit, oblatam partem recusare; quæ & si postea rite obsigne- tur,

B

tur, atque apud Judicem deponatur, nihilominus tam pro non soluta habetur in l. 41. §. 1. π. de Vsur. & fruct. add. l. 9. C. de solut. & l. 3. C. de Luit. pign.

Ratio est, quia Sæpe & Solutio & exactio par-  
tium non minima secum fert incommodi, nihilque  
tam naturale in Jute nostro reputatur quam eo genere  
quidve dissolvere quo colligatum est, per l. 35. π. de  
Reg. Iur. Iniquum præterea esset, Creditori adimere  
Jus, quod ex natura obligationis ipsi competit, vi cuius  
Solidum perseguiri potest.

Adeo autem particularis Solutio vel oblatio  
vinculum obligationis non tollit, ut nequidem cursum  
usurarum, illius etiam partis, quæ soluta vel oblate  
fuit, sistat. Clarissime hoc patet ex l. all. 41. π. de Vsur.  
& fruct. §. 1. ubi Lucius Titius, cum centum & usuras aliquantæ  
temporis deberet, minorem, quam debebat, summam  
exsolvens condemnatur in præstationem usurarum totius debiti.  
Quod eousque extendunt Doctores, ut afferant,  
debitorem totam quidem.

Debiti sortem sine tamen usuris offerentem juste repellere  
posse, ejusque præstationem, pro particulari solutione  
habendam esse; ad totum enim debitum etiam com-  
putantur usuræ; idque probant ex l. alleg. 19. C. de  
Vsuris. Imo, si vel modicum de sorte sive de usu-  
ris in debito perseveret, invalida & nullius momenti  
erit oblatio, nec impediet, quo minus Creditor rem  
pignori sibi ob hoc debitum obligatam distrahere que-  
at. Conf. l. 2. C. Debitorem Venditionem pignoris impedit  
non posse. Atque hanc Juris Romani Decisionem ap-  
probare

probare quoque & confirmare videtur Praxis tum Gallicæ, tum Germaniæ. Et in *Recessu Imperii* ultimo de A. 1654. §. 172. particularis Solutio certis tentum Debitoribus, & in certo casu, tanquam beneficium singulare, conceditur. Quæ exceptio Regulam in casibus non exceptis firmat. De Usu fori Gallici v. *L'ANGE Nouveau Practicien, françois.* L. IV. c. 16. des offres & Configurations.

Notandum tamen hanc nostram de Invaliditate particularis Oblationis assertionem varias pati limitationes; sunt enim Casus plures, ubi partem creditoris offerre licitum est, omnes scilicet ii, in quibus Solutio particularis locum habet, quales sunt: 1. si Creditor & Debitor de ea inter se convenerint; quæ pacta partium Specialia legem contractui dare dicuntur in l. 48. π. de paet. conf. etiam l. 41. π. de Vsur. & fruct. §. 1. 2. Si pars debiti, quæ offertur, liquida, residuum autem illiquidum sit; ut, si decem petat Creditor, Debitor vero non nisi quinque se debere confiteatur, tenetur Creditor quinque oblata accipere; & reliqua, quæ nec liquida, nec probata sunt, in Judicio persequi ut probat *CARPZOV.* Resp. 99. L. IX, ex l. 21. π. si certum pet. 3. Si residui, quod non oblatum fuit, potest fieri compensatio, ex. gr. Aulus debet Balbo trecenta, postea Balbus mutuam accipit ab Aulo summam ducentorum. Quaritur an si Aulus Balbo realiter offerat centum, haec oblatio valeat? Et Respondemus quod sit, valida quia reliqua ducenta per Compensationem Soluta censentur ob l. 4. & ult. § 1. Cod. de Compens. 4. Si promissa

missa fuerit solutio diversis in locis; in hoc casu enim particulares oblationes fieri possunt tot, quod sunt loca diversa. v. l. 2. §. 4. π. de eo, quod certo loco. 5. sufficit particulariter offerri pensiones annuas publicas. per l. 4. de Collat. fund. patr. 6. Vbi favor libertatis & alimentorum qui, in Jure nostro maximus est, pro Debitorum militat. 7. Si Debitor sine culpa sua e. g. per calamitatem bellicam ad tantam paupertatem redactus, ut difficulter vel plane non totum simul soluere possit debitum, p. Rec. Imp. de Anno 1634. §. 172. supr. all. 8. Juxta Jus Canonicum qui poenæ partem solvit, pro parte præstata liberatur, v. C. 9. X. de Poenis. Aliæ Exceptiones occurruunt in Colleg. Iurid. Arg. Tit. de Solut. n. 11. & apud SCHVLTZ in Tract. supra cit. c. 4.

Breviter id notandum; Vbicunque particularis solutio locum invenit, ibi quoque particularem posse fieri debiti oblationem, sed regulariter totam ac integrum oblationem ad liberandum Debitorum requiri.

Objicetur quidem, I. quod qui potest plus, possit etiam minus, juxta Reg. Juris notissimam. Nunc autem plus damni sæpius infert Debitor Creditori ante Diem Stipulatum solvens, quam si non totum, opportuno vero tempore, soluit; & certum tamen est, solutionem ordinarie prius fieri posse, quam Creditor velit, quo sic nulla Debitor auferatur occasio sese liberandi ab ære alieno, arg. l. 70. l. 98. §. 4. π. de solut. & liber. l. 35. §. 16. l. 137. §. 2. π. de V. O. l. 17. de Reg. I. Quæ libratio, cum inter ea, quorum favor non est exiguis, ob intereste

interesse publicum merito refertur, in casu quoque, ubi Debitor per partes solvens paulatim sese a debito liberum ac immunem reddere conatur, locum habere debet. Ad quod responderemus: a tempore Solutienis, quippe quod ut plurimum debitoris causa adjicitur, ad quantitatem solvendam concludi non posse; & si vel maxime possit, Leges supra allegatas ediametro obstat. Et haec sunt, quae omnino etiam vincunt l. 9. §. 1. n. de Solutione, quam in contrarium allegant; hunc enim Tex- tum eum presupponere casum, ubi Creditori scienti nec contradicenti Solutio particularis Facta est, communis fert Doctorum opinio. Vid. LAVTERBACH. Colleg. Theoret. pract. Tit. de Solut. §. 24. Opponunt 3. JurisCti Juliani Sententiam qui Praetori injungendum statuit, ut Creditorem compellat ad accipendum id quod offertur, licet totum non conficiat debitum, per l. 21. n. de Rebus Creditis Corpori Juris insertam a JUSTINIANO Imp. approbatam fuisse, & adhuc hodie obtinere. Sed re- gerimus, ex ipsis textus citati verbis, si curatus perpen- dantur, apparere, nec Creditorem ipso jure obligatum esse ad partem debiti accipendam, nec Praetorem te- neri absolute, ad compellendum Creditorem, ut quod particulatum eidem solvitur accipiat; dicitur enim duntaxat *humanius facturum videri prætorem*, si Creditorem cogit ad acceptationem. Unde sequitur, stricto & summo jure in Creditoris voluntate ac humanitate positum esse partem accipere vel non accipere; quamvis & non sine ratione dici queat, hunc textum agere partim de debi- to liquido, partim de illiquido; quam explicationem requirere videntur verba: *reliquum persequi & lites dimi- nuere*. Eadem nostra Responsio est ad l. 5. C. de distract. pign.

## QUÆSTIO IV.

*Ad quem spectet periculum Depositi Juris, an ad Creditorum, an vero ad Debitorum?*

FActa rei debitæ oblatione legitima, id est, tali, quæ realiter, testibus præsentibus opportuno tempore ac Loco congruo fiebat, prudentis Debitoris est, ut in casu, si Creditor illam sine justa causa accipere recusat, eam obsignet, exhibitis tamen & hic omnibus a lege præscriptis solennitatibus ac requisitis; inter quæ Dd. referunt i. præsentiam Creditoris, vel in casu, si absens sit, facta interpellatione Judicis, ejusdem citationem ad videndum obsignationem & depositionem. arg. l. 47. n de Re jud. vid. tamen l. 6. & 19. C. de Usuris. 2. Prænumerationem pecuniaæ in oculis Judicis competentis, vel si hujus copia fieri nequit, duorum ad minimum testium instituendam, quo sic appareat, totum omnino debitum obsignari. 3. Rei debitæ in sacculum vel cistam immissæ obsignationem, quæ fieri debet vel sigillo Judicis, vel hoc deficiente utriusque testis. Hoc facto Debitori insuper incumbit, ut rem ita obsignatam custodia tuta committat ac deponat & quidem secundum hodiernam praxin in loco Judicii, quanquam olim

olim juxta Jus Romanum ubicunque locorum modo  
tutorum deponi poterat. v. l. 1. §. 3. l. 6. n. de Procurat.  
l. 6. & 19. C. de usur. l. 28. §. f. n. de adm. & peric. Tutor,  
l. f. n. de Tabul. exhibend.

In Gallia Judiciis persona aliqua publica est con-  
stituta coram qua omnes obsignationes & depositiones  
sunt celebrandæ, prouti ex Declaratione Regis LUDOVICI  
XIV. d. 22. Aug. de A. 1669. art. 10. patet.

Jam ponamus, cuncta hæc requisita strictè obser-  
vata, sed casu fortuito factum fuisse, ut res deposita  
vel deterioraretur vel plane periret, controvertitur,  
quis inter partes litigantes damnum hoc ferre debeat?  
Evidem, cum res suo domino pereat secundum no-  
tissimum Juris Brocardicum, videri posset damnum rei  
depositæ datum nullo modo pertinere ad Creditorem,  
utpote qui dominium habere non potuit in rem, quam  
accipere recusavit; in invitum namque dominium non  
transfersur, per l. 55. n. de obl. & Aet. l. 17. §. 1. n. de ad-  
quir. & amitt. poss. manet igitur debitor deponens rei  
depositæ Dominus ita, ut in ipsius situm sit potestate  
ac voluntate, illam quocunque lubuerit, iterum re-  
petere, suo tamen, ut dicemus infra, damno ac pericu-  
lo, quamdiu a Creditore non fuerit acceptata, & per con-  
sequens ipsum etiam omne, quod circa rem depositam  
obvenit, detrimentum manet. Sed respondemus con-  
cedendo antecedens, & negando consequentiam. Lar-  
gimur enim, Dominium talis rei legitime depositæ non  
transire in Creditorem invitum; licet nos non lateat,

B 4

CARPZO-

CARPZOVIVM cum compilatore Collegii Jurid. Arg. estimare, dum debitor hoc animo depositus, ut vellet Creditorem acquirere, traditionem, non veram quidem, attamen factam hic intervenisse, ac per traditionem istam, Creditori possessionem & per consequens Dominium acquiri V. Ej. Resp. C.

Num vero exinde sequitur, periculum non transferri? Minime gentium, scimus enim in contratu Erstitutionis dominium rei venditae, pretio non soluto nec fide de eo habita, remanere apud Venditorem, ad eum effectum, ut rem venditam in isto casu iterum vindicare queat, non tamen hoc dominium obstat, quo minus periculum rei venditae regulariter sit penes Emtorem, uti clarissime id apparet ex toto ff. Tit. de Periculo & Commodo rei venditae. Pari modo in casu nostro, ubi res deposita quoad valorem vel diminuta vel in totum reprobata, vel, si incendio aut aliter amissa fuerit, omne hoc detrimentum ad Creditorem redinabat, quippe qui in mora debitum accipiendi constitutus quæcunque ex hac mora proveniant malâ solus sufferre tenebitur. Unus quisque moræ poenas luat, qui eam facit. Sic emtori ob moram in solvendo commissam usuræ pretii præstandæ veniunt per l. 13. §. 20. π. de act. Emt. vend. l. 32. §. 2. π. de usur. l. 13. C. Ead. l. 24. & 25. in f. π. Depos. (non obstat. l. 34. §. 21. π. de act. E. V. l. 5. C. cod. l. 60. π. pro socio) Sic vicissim vendor moram in extradenda re faciens ad interesse condemnatur, ita, ut omnis utilitas Emtoris hic in æstimationem veniat, quæ modo circa ipsam rem consistit, per l. 3. §. 3. & 4.

¶ 4. l. 21. §. 3. π de A. E. V. Ita quoque Creditor, cum potuisset periculum a vertere, rem nempe oblatam iusto tempore acceptando, sibi imputet, quidquid ex suo facto emergit, quam etiam ob causam nulla eum dignum commiseratione censem leges Civiles; juxta has enim damnum, quod quis sua culpa sentit, non sentire videtur, l. 20. π de R. I. volentique non fieri injuriam, certum est. Voluisse autem Creditor ideo creditur, quia, licet ab initio in eo peccaverit, quod sine justa causa recusavit, cum tamen postea potuisset rem depositam, antequam metus periculi aderat, utili rei Vindicatione ad se trahere per l. 8. inf. C. ad exhib. hanc actionem seu remedium consequendi debitum lubens neglexit. Et foret sane æquitati tum naturali tum Civili contrarium, ut ille vel minimum damnum sentiat, qui media a legibus ad avertendum periculum, seque ab obligatione liberandum præscripta, debito modo adhibuit; Talem autem in nostro casu Debitorum esse supponimus, sicut e contrario justissimum est, ut Creditor beneficiis legis non perfruatur, quam contemnendam esse censuit l. 21. C. de Iur. delib. §. 12. utque talis morosus, qui per recusationem suam debitorem novis sumtibus oneravit, non tantum omne periculum rei oblatæ, sed & expensas eam ob rem factas, quas declinare & potuisset, & debuisset, solus ferat. Imprimis si consideretur, quod ex diverso, quicquid rei depositæ interim accedit, spectet ad Creditorem. Atque sic in plurimis tum Galiae tum Germaniae foris pronuntiatum fuisse, varia hinc inde extantia præjudicia testantur.

Majoris indaginis & difficultatis controversia est illa, qua Ddres inter se litigant: an, si sola oblatio facta sit

sine subsequenti ob-signatione & depositione, & post recusationem Creditoris, res pereat, Debitor liberetur, nec ne? Sunt, qui distinguunt inter casum, ubi res ob-lata Debitoris culpa, & inter eum, ubi sine ejusdem culpa perii; in illo liberationem denegant, in hoc con-cedunt, sese fundantes in verbis l. 72. n. de Solutionibus in qua MARCELLUS sic decidit: qui decem debet, si ea ob-tulerit Creditori, & hic sine justa causa accipere recusavit, deinde Debitor sine culpa sua perdiderit, doli mali excep-tione potest se tueri, quanquam aliquando interpellatus non soluerit. Unde e contrario argumentantur, de-bitori ergo, cuius culpa res perii, hoc beneficium non com-petere, cum eadem æque culpa, quæ Creditori in-juste recusanti imputari & nocere debet, ipsum quoque debitorem redarguat; eoque magis, quo melius ille periculum rei impedire potest, qui rem illam secum habet, quam ille, qui rem non detinet. Propior ita-que ac proxima causa interitus rei oblatæ est debitor, qui rem possedit & neglexit, remotissima vero dun-taxat causa, si non nulla, erit Creditor rem oblatam re-cusans, & in Debitoris manibus ac custodia illam re-linquent.

Sunt autem alii, qui hanc allatam modo distinc-tio-nem prorsus rejiciunt, simpliciterque asserunt, rem debitam legitimo modo oblatam, & ante consignatio-nem vel culpa vel sine culpa Debitoris perditam Cre-ditori perire, modo nullus ex parte Debitoris interve-nitur dolus. Si excipis, verba legis 72. ita clara esse, ut in contrarium nihil admittant, en novam quidem ast eruditam sane ac non omnino spernendam nobis sug-gerit responsonem Celebrissimus Batavorum J. Clas-Domi-

722.

[ 19 ]

Dominus GERARDUS NOODT L. I. Observ. C. 16. qui, licet  
inficias ire nequeat, in omnibus codicibus verba *sine sua*  
*culpa perdiderit legi*, non tamen assurere dubitat, ea aut spu-  
ria plane & supposita esse, aut ad minimum errore igno-  
rantium Librariorum corrupta, prius probare exinde co-  
natur, quod verba illa, si interpolantur, corrumpan-  
t naturum MARCELLI alioquin optimum, id est, ipsi Mar-  
cello & Juri Civili consentaneum, verba namque *sine*  
*culpa sua* aut similia non apparent in posteriore capi-  
tis versu, ubi calum hoc quadrantem Juris Consultus  
proponit. De qua correctione ac conjectura quid sta-  
tuendum sit, doctoribus judicandum relinquimus. Po-  
sterius, quod nempe corrupta sit hujus legis lectio, faci-  
lissimus admitti potest, ostendit enim modo laudatus Do-  
minus Noodt ex l. 7. §. 2. n. de *injuriis*, pro voce:  
*sua legendum sua*, id est summa, ut sensus verborum sit:  
deinde Debitor ea sine summa culpa (quæ & *n. agna*  
negligentia in l. 226. n. de *verb. sign.* dicitur) perdiderit.  
Sibi etenim Noodrius persuadet, hunc errorem, quem  
Librarii in legenda contracta scriptura *sua pro sua* cum  
*summa* illam denotare culibet, qui antiquos codices  
missos vel leviter inspexerit, notum sit, quemadmo-  
dum in *legem 7. n. de Injuriis*, ita quoque in *l. nostram*  
72. n. de *Solutionibus* irreplisse; quem enim sensum eruet  
legens? prout in Florentina Editione impressum: *si*  
*atrox sit injuria, quam pauperrima sit, si sua puta, si servilis?*  
sane, qua ratione servilis injuria vocetur *sua*, quomodo  
*sua* contradistinguitur *levi*, non intelligimus. Verus  
autem & perfectus constabit sensus, si pro *sua* leges sum-  
ma, utpote qualis est injuria servilis, levi coercitioni op-  
posita. Quæ ultima doctiss. viri conjectura eo magis  
C 2 appro

approbanda videtur, quo melius *lex 72. de solut.* sic cor-  
recta convenit cum aliis Juris Romani textibus. In *l. 9.  
n. soluto matrimon.* Maritus non culpam sed dolum præ-  
stare debet, si mora per mulierem fuit, quo minus rem  
debitam reciperet. Juxta *l. 17. n. de Peric. & Commodo rei  
vend.* non culpa, sed dolus malus duntaxat præstandus,  
cum moram Emtor adhibere coepit. Et in *l. 5. n. cod.*  
PAULUS casum tradit, ubi Emtor vini, penes quem stetit  
quo minus illud tolleret, si vinum pereat, nihil exigit,  
nisi quod dolo malo vendoris interceptum fuit. Unde  
concludimus, omnes citatas has leges id indigitare, ut  
Creditori seu illi, cui debitum præstandum (qualis in Imo  
nostro casu est mulier, in 2. & 3. Emtor) res oblatas sem-  
per pereat, si per eum stetit, quo minus illam accipe-  
(nempe in Imo casu maritus, in 2. & 3. vendor) nul-  
lum dolum commisit.

### QVÆSTIO V.

*An, si Debitor recipiat Depo-  
situm Juris, Creditori de  
novo competat actio contra  
Debitorem ad solutionem  
consequendam?*

**C**Vm in Jure nostro nullum præcise tempus de-  
finitum legimus, quamdiu Depositio rei de-  
bitæ ob recusationem facta durare debeat, su-  
erunt, qui statuerent, non opus esse, ut de-  
positum

positum tale perpetuum sit, utque expectetur, usque  
dum Creditor vel ejus heredes illud acceptent, sed posse  
Debitorem, si velit, rem depositam iterum recipere, ita  
quidem, ut ejusdem liberatio a debito subsistat illibata,  
nec actio Creditoris, quam habuit, quamque per legitimi-  
mam depositionem amisit, reviviscat. Ajunt enim i.  
talem Debitorem, qui, cum potuisset & debuisset de-  
positum recipere, non tamen recepit, habendum esse  
pro remittente vel donante debitum, ac pro eo, qui Juri  
pro se introducto renunciavit; ad exemplum ejus, qui  
Jurisdictionem, quam debuit & potuit exercere, non  
exeret, hic enim Jurisdictione sua cadit. arg. Auth. sta-  
tutum. C. de Episcop. &c. Et ad exemplum Usufructu-  
arii, cuius jus non usi amittitur, per l. 38. π. de Usufr.  
§. 3. Inst. Cod. l. 38. & seqq. π. de servitut. l. 14. & l.  
25. Quibus modis usufructus amittatur. 2. Insistunt;  
Eandem rationem, ob quam præscriptiones sunt intro-  
ductæ, ne scilicet dominia rerum in incerto sint, utque  
litium detur finis, etiam hic militare. 3. Äquius esse  
dūcunt, ut res deposita, quam Creditor, præter quem  
nemo alius fortius jus in illam habet ac Debitor, stu-  
dio detrectat, & quasi pro derelicta habet, recipiatur  
iterum a Debitore, atque sic corruptioni aut interitui  
totali subtrahatur. 4. Cum omnia, quæ oculis nostris  
subjecta videmus, a Sapientissimo Creatore in nostram  
utilitatem facta videamus, voluntati certe Divinæ con-  
trariaretur ac finem Dei sanctissimum impediret, qui  
rem, quæ usui nostro inservire debet, otiosam relin-  
queret, quique locum Judicii inutili pondere per tale  
depositum oneraret.

C 3

Sed

Sed ficalnea & levidensia hæc esse argumenta,  
quis est, qui non deprehendat? Quod enim primum  
attinet, ab imaginaria, quam sibi fingunt, donatione  
& remissione debiti desumtum, illud statim corruit, si  
consideretur, donationem non præsumi, sed probari  
debere per l. 25. pr. ff. de Probat.

Factum autem Creditoris, dum debitum recusat,  
eo minus involvit remissionem, quo magis ex tali recu-  
fatione patet, Creditorem Jus suum sibi reservare vo-  
luisse. Si enim animum debitum remittendi habuisset,  
potuisset illud acceptum ferendo declarare, antequam  
ad obsignationem & depositionem sese debitor accinxe-  
rit. Dum vero certas ob circumstantias ac causas, ex  
quibus sibi damnum vel inferri statim, vel imminere  
timet, rem oblatam nunc accipere detrectat, hoc  
ipso facto ostendit, se lubenter debitum accepisse, si  
metus ille absuisset, & postea cum absuerit, accepturum  
esse. Quomodo quoelis talis Creditor pro tacite remit-  
tente ac donante habendus erit? Nec huc aliquid facere  
potest exemplum Usufructuarii jus suum negligens;  
quoniam enim certos quosdam annos, præsentii  
nempe decem, absenti viginti l. pen. §. i. C. Usfr. præfi-  
xit, intra quos nisi jure suo utatur, illo privatur, e con-  
trario autem Creditori liberum leges relinquerunt, quan-  
docunque voluerit, rem depositam ad se trahere, nec  
ad ullum tempus observandum adstrinxerunt, clarissi-  
me elucescit, diversam esse nostri casus & illius rationem,  
nec ab hoc ad illum argumentari nos posse. Multo  
minus hoc quadrat exemplum a neglecta Jurisdictione  
desumtum ex Auth. statutum. C. de Episcop. In hoc  
enim loco Judex privandus dicitur Jurisdictione, non  
ideo,

724.

✿ [ 23 ] ✿

ideo, quia plane non ea utebatur, sed quia Clericis & Ecclesiasticis personis justitiam denegare præsumvit.

Similiter respondemus ad argumentum *2dum*, quod ex ratione introductæ Præscriptionis exsculpunt, assentimus enim, Præscriptionis usum nullum fuisse, nisi Legislatores Civiles certum ac definitum tempus iisdem præscripsissent, cuius lapsus vel negligentiam nostram vel animum pro derelicto habendi proderet atque inferret. Vbi autem certus annorum numerus deposito Juris est statutus, quem, ne jure suo recipiendo depositum cadat, observare tenetur Creditor? Quod insuper dicitur, Dominia rerum non debere esse in incerto, concedimus, sed ex supradictis evidens est, Debitorum tamdiu Dominium rei depositæ sibi reservare, quamdiu Creditor illam non in suas recipit manus. Latum finis si attenditur, nulli adstruere dubitamus, illum etiam per Depositionem legitimam obtineri, quippe qua Debitor a debito liberatur, ita, ut nulla amplius contra eum Creditori supersit actio.

Quæ 3. de corruptione ac interitu rei depositæ avertendo objicitur, nihil aliud probat, quam Legislatores vel Judices in causa, ubi illa sunt metuenda, non male forte acturos, si certum aliquod Creditori moroso præfiant tempus, intra quod rem recipiat, si que hoc elapsò rem distrahant ac in durabiliorem transmutent materiam.

Idem etiam dicendum ad ultimam & 4tam quam de voluntate ad intentione Divina adducunt, rationem, posse nempe Legem justissimam æque ac Reipublicæ utilissimam ferri, quâ in casu injustæ reculatioñis & subsequentis legitimæ Depositionis Creditori injungeretur, ut intra certum tempus depositum recipiat, & hoc negle-

cto,

eto, sibi imputet, quod res deposita vel in aliorum vel in publicos usus convertatur. Sed legem talem latam fuisse, vel, ut ferretur, principem teneri, non videmus; multo minus ex illis sequitur, Debitorem liberatum manere a debito, si nullo cogente jure Depositum iterum ad se recipit.

Demonstremus potius, si hoc fiat, Debitorem de novo incipere Creditori suo obligari, ita, ut hic contra illum ad consequendum debitum valide agere queat. Nec obstat, quod ob *I. 66. I. r. de Legat. II. & §. 6. Inst. de Noxal. Act.* actio semel extincta non revo- cetur; Perspicua enim & hanc ipsam objectionem tolentia verba legimus in calce *I. 19. C. de Usuris*: Creditori scilicet actionem utilem ad exactionem pecuniarum non adversus Debitorem [NB] nisi forte eas receperit, sed contra Depositarium vel ipsas competere pecunias. Qui textus *MULLERO ad Struv. exerc. XLVII. §. 79.* ita clarus & expressus videtur, ut, si quæstio nostra proponitur, affirmativæ sententiae esse tenaciter inhaerendum, dicat.

Hinc sequitur, licet per justam Depositionem libe- ratio ex parte Debitoris & amissio actionis directa ex parte Creditoris contigerit, utiliter tamen conveniri posse Debitorem, qui rem debitam non finit depositam, verum eam iterum possidere coepit. Ex ratione, quod hoc casu, quo receptio Depositum fit, fingatur De- positum nunquam factum esse, sicutque omnia in pristinum reponantur statum. Indubia porro veritatis est, cessante causa cessare effectum, nunc autem, si legitima depositio erat causa liberationis, illa cessante & liberati- onem cessare, atque denuo obligationem ex parte De- bitoris

bitoris inchoare, necesse est; ad eum etiam effectum, ut si deinde a Creditorē interpellatus non solvat, quod debet, in mora constituantur Debitor. arg. l. 17. n. de Peric. & Comm. R. V. Quæ mora moram Creditoris ante commissarii ita purgabit, ut, cœu supra laudatus Celeberr. NOODT C. 15. Tr. de fœn. ex congrua interpretatione legis 7. C. de Usuris. probare conatur, Debitor rursus ex eo tempore, quo interpellabatur, usuras similes iis ad quas ante Depositionem tenebatur, debet præstare. Ait enim PAPINIANVS in dicta lege: quod si postea (post depositionem) ut solveret, moram fecerit, nummi steriles ex eo tempore non erant. Quæ verba casum nobis suppeditant, ubi Debitor post rite constitutum Depositum Juris convenientur, & moram in solvendo facit. Nunc vero impossibile est, ut moram fecisse dicatur Debitor, qui rem depositam apud Judicem reliquit; ille enim solum morosus ex hypothesi Juris nostri vocatur, quid, quod debet & potest præstare, non præstat. Hinc eruditissime infert Dn. NOODTIVS, Papinianum vel le, quod nummi steriles non erunt, id est, quod usuræ debeantur, non ex eo tempore, ex quo, ut solvat, convenitus est, sed, quo conventus moram fecit; quod tunc denum sit, si Debitor nummos primum depositum, deinde recepit, & postea conventus, ut solvat receptos nummos, non solvit. Ita enim, & non aliter, jure convenientur Debitor, & conventus, si cessat solvere, moram facit, atque ideo ad usuras præstandas tenetur. Nec potest hoc durum videri Debitori, qui actus ad sui liberationem a Legibus repuistos, per contrarium actum reddit irritos; sibi enim soli imputet, quod depositum

D

positum sine necessitate recipiendo, & annullando, debitum quoque rursus in se recepisse ac liberationem, qua antea gaudebat, annullasse nunc censeatur.

Præter propositas quæstiones essent quidem circa hanc materiam plures alia delibandæ, verum cum hæ instituto nostro sufficient, labore illum aliis suscipendum. relinquo.

### *F I N I S.*



COROL-

720.

\* [ 27 ] \*

## COROLLARIA.

### *Ex jure Civili.*

I.

**S**pecialis hypotheca secundi Creditoris  
præfertur generali prioris, qui scilicet  
aliunde potest sibi satisfieri.

II.

Mulier est privilegiata tam impersonali  
quam hypothecaria actione, ut præferatur  
omnibus Creditoribus prioribus hypothe-  
cam habentibus, ratione dotis suæ.

III.

Mulier transiens ad secunda vota u-  
sum fiuctum sibi, a Marito priori relictum  
amittit qui liberis prioris matrimonii resti-  
tuitur, &c, si est in mora expressa vel tacita  
restituendi, condemnatur ad omnes fiu-

D 2

Etus

Quis quos percepit indebito; secus; autem si lucrata fuerat plenum dominium nam tunc usumfructum non perdit.

## IV.

Conjux transiens ad secunda vota non potest ullo titulo in secundum conjugem transferre plus, quam reliquerit uni ex liberis primi Matrimonii, cui minimum reliquit; nam quod ultra reliquerit, non valet, sed inter liberos æqualiter dividitur.

## V.

Donatio inter uxorem & Virum facta tempore utriusque vitæ non valet; sed si ea facta sit & non revocetur, post mortem donantis effectum suum habet.

## VI

Error in nomine proprio vel appellativo seu designativo singularis Rei vel personæ non offici testamento, nisi reddat dispositionem omnino incertam.

## VII.

Judex non potest judicare nisi secundum acta & probata.

727.

\* [ 29 ] \*

VIII.

Die Dominica debent judices & officia  
artium quiescere, tamen licita sunt opera ru-  
ralia, quæ ex necessitate poslunt expediri.

COROLLARIA.

*Ex jure Canonico.*

Judex secularis si Clericum per se distri-  
git aut condemnat excommunicari  
debet.

II.

Cum agitur actione reali non sufficit rem  
generaliter petere; sed debet ita specificari, ut  
evitetur obscuritas & æquivocatio.

III.

Non tenetur Reus respondere libello  
in actione personali, si non exprimitur causa  
petendi.

IV.

Instituti in Ecclesiis patronatis per no-

D 3                    vos

vos patronos mutari non possunt; nec vicissitudines per eos fieri debent.

V.

Si Patroni, Ecclesiæ vacantis intra tempus a Jure concessum neminem præsentant, Episcopus ordinabit Ecclesiam.

VI.

Quando Postulatio cum Electione concurrit, Postulatus duplo majorem, quam Eligendus, votorum numerum habere debet e.g. si 30. sunt Canonici, Postulatus ut habeat vota 20. requiritur.

VII.

Clericus suo privilegio fori absque effectu renunciat. Idem Jure Canonico pro laicis fideiubere prohibetur.

COL

## COROLLARIA.

*Ex jure Feudali.*

**S**I quis habens feudum decebat masculis & filiabus relictis, soli Masculi succedunt in feudum, non filiae seu feminæ.

## II.

Filia non succedit in feudo licet vasallus decesserit sine hærede, masculo nisi investitura facta fuerit in patre, ut filii & filiae succedant in feudum.

## III.

Maritus uxori non succedit in feudo, etiam fæmineo, nisi specialiter sit investitus.

## IV.

Frater fratri, defuncto sine filio, non succedit in novo feudo, sed bene in antiquo.

## V.

Alienatio, oppignoratio, venditio & quæ

quæcunque distractio feudi ex toto vel  
ex parte sine permissione Domini, ad  
quem Feudum spectat nulla est & emptori  
bonæ fidei pretium restituitur.


## VI.

Dominus propter feloniam Commis-  
sam in Vasallum, feudi proprietate priva-  
tur, sicut contra vasallus feudo.

F I N I S.







1018

ULB Halle  
007 430 779

3





B.I.G.

Farbkarte #13



709.

11

1727,3

I. N. D. N. J. C.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
DEPOSITO JURIS  
SEU  
CONSIGNATIONE  
Quam  
adjuvante *Divino numine*  
*ex decreto*  
Inclytæ Facultatis Juridicæ in Alma  
Argentoratensis Universitate  
**PRO LICENTIA**  
Summos in utroque jure honores &  
Privilegia Doctoralia  
rite consequendi  
*Eruditorum Examini*  
submittet ac solenniter defendet  
**JOH. BAPTISTA WENDEL,**  
de HAYANGE Wolmeringensis.  
Ad Dicm II. Mart. A. C. H. M. DCCXXI.  
horis locoque solitis.

**ARGENTINÆ,**  
Typis Typographiæ Regiæ.

